


alis veritas ad fidem pertineat; sed quod per bonas rationes & manifesta motiva credibilitatis possit prudenter sibi & aliis persuadere, argumentum, quod proponitur contra fidem, non esse admittendum ut verum, quod est solvere argumenta contra fidem evidentē evidentia, ut vocant extrinseca.

Quæritur 6. Ex quibus locis Theologia deprimat sua argumenta, seu quot, & qui sunt loci Theologici?

R. Communiter assignari decem. Primus est Scriptura sacra. Secundus, Traditio Apostolica. Tertius, Ecclesie Catholice consuetudo & auctoritas. Quartus, Definitio Concilii œcumenici. Quintus, Sedis Apostolicæ seu Romani Pontificis auctoritas. Sextus, alicujus Patris aut Ecclesie Doctoris auctoritas. Septimus, Sententia Doctorum graviorum. Octavus, Ratio naturalis. Nonus, Auctoritas Philosophorum. Decimus, Historia humana. Neque refert, S. Thomam hic ad 2. quatuor tantum enumerare locos Theologicos, scilicet, Scripturam sacram, Doctores, Philosophos, & rationem naturalem: non enim fuit S. Doctoris propositum sibi recensere omnes locos Theologiæ, sed solum ostendere Theologiam esse argumentativam.

Duo tantum hic notanda sunt: Primum ex quinque primis dumtaxat locis argumenta infallibilia deduci: ex quinque ultimis solum probabilia, nisi forte ex sexto & septimo, quando nempe vel omnes Patres, vel omnes Doctores in aliqua veritate asserenda unanimiter conveniunt; tunc enim regulariter loquendo est certum & infallibile argumentum inde deductum, cum unanimis sensus Patrum aut Doctorum videatur ipsius Ecclesie sensus. *Ibid. ad 2.*



TRACTATUS DE DEO ET DIVINIS ATTRIBUTIS.

Quia igitur principalis intentio hujus sacre Doctrinæ est Dei cognitionem tradere, non solum secundum quod est in se, sed etiam secundum quod est principium rerum & finis earum, & specialiter rationalis creaturæ, ad hujus Doctrinæ expositionem intendentes, 1. tractabimus de Deo. 2. De motu rationalis creaturæ in Deum. 3. De Christo, qui secundum quod homo via est nobis tendendi in Deum. Et hæc est partitio totius operis seu Summæ in tres partes. Sed, cum secunda nimium excreverit, divisa est in duas partes, quarum prima vocatur *Prima Secunda*, id est, prima pars secundæ partis: secunda dicitur *Secunda Secunda*, id est, secunda pars secundæ partis. (*Hic q. 2. in Proem.*)



DISSERTATIO I. DE DEI EXISTENTIA.

Div. Thom. Quæst. 2.

ARTICULUS I.

Utrum Deum esse, sit per se notum, vel demonstrabile?

Nota 1. Propositio per se nota dicitur, cujus veritas per se & sine medio a se distincto innoscitur: sic Sol dicitur per se visibilis, quia se ipso, & non per medium magis lucidum, videtur. (*Hic q. 2. art. 1. o.*) Duplex distinguitur; per se nota quoad se tantum & non quoad nos est, quæ caret medio probativo a priori; & dicitur immediata, ut quando prædicatum includitur in ratione subjecti, tanquam ejus definitio seu pars definitionis, sed quidditas subjecti ex prima & communi terminorum apprehensione nobis non innoscitur, sed indiget per aliquid nobis notius discurrendo demonstrari. Propositio per se nota quoad nos est, cujus veritas ex prima & communi terminorum apprehensione absque ullo discursu, sive a priori, sive a posteriori, nobis innoscitur; quales sunt, quæ exprimuntur terminis notissimis & communissimis, ut *quodlibet est, vel non est: Totum est majus sua parte: nemo est enim, quantumvis stupidus, qui ex prima apprehensione non habeat notionem entis & non entis, totius & partis, proutdeque qui non concipiat quodlibet esse vel non esse; totum esse majus sua parte. Quæstio est itaque, utrum hæc propositio: Deum esse, sit per se nota, & quomodo? An quoad se tantum, an etiam quoad nos?*

Nota 2. Quosdam hic ulteriorem quæstionem magno apparatu movere: utrum sit nobis ingenta, seu innata Dei notio. Sed, cum per hanc innatam Dei notionem nihil aliud in-

Aliud notandum; non omnes locos assignatos esse proprie Theologicos, sed dumtaxat septem primos. (*Ibid.*) Tribus ultimis autem utitur Theologia tanquam extraneis & probabilibus argumentis. Etenim generatim loquendo in quacunque scientia sunt duo loci arguendi, scilicet auctoritas & ratio; quia mens humana alicui rei assensum non præbet nisi vel auctoritate dicentis, vel evidentia objecti inducitur: cum ergo in rebus Theologicis, quæ fidei innituntur, evidentia objecti desit, sola auctoritas Dei revelantis est proprius locus in ea argumentandi. Utitur tamen ratione humana tanquam ancilla, ut fidei deserviat, non ut dominetur, aut æquo pede incedat; cum enim gratia non tollat naturam, sed subjiciat & perficiat, ita oportet, quod naturalis ratio fidei subserviat & obtemperet, sicut naturalis inclinatio voluntatis charitati obsequitur: unde Apost. 2. ad Cor. 10. dicitur *In captivitatē redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Tres autem ultimi loci pertinent ad rationem humanam: septem primi ad auctoritatem divinam.

Quidam institunt hic tractatum de locis Theologicis; sed nos remittimus ad tractatum de Fide. De his fuscè scripsit noster Cano, cujus opus, tam propter styli elegantiam quam propter doctrinæ præsentiam, omnium eruditiorum plausibus comprobatur, & omnibus Theologis assidue volendum jure commendatur. Quærit S. Th. art. 9. utrum Scriptura sacra debeat uri metaphoris. Et art. 10. Utrum sub una littera habeat plures sensus: utrumque ad locum statum de fide etiam remittimus.

Probatur 2. pars: Illa propositio non est per se nota quoad nos, in qua quidditas subjecti ex prima, & communi apprehensione terminorum nobis non innoscitur, sed indiget discursu, ut nobis innoscatur: quin tunc non potest statim nobis innoscere, an prædicatum conveniat subjecto. Atqui quidditas Dei ex prima, & communi terminorum apprehensione non innoscitur nobis, sed per discursum: ergo. Patet Minor; quia quid sit Deus, non intelligimus statim ac audimus hanc vocem, *Deus*, sicut ex profatione horum terminorum, totum & pars, ens & non ens, statim intelligimus quid sit totum, quid pars; quid sit ens, quid non ens; sed quid sit Deus per discursum & valde imperfectè intelligunt ipsi Sapientes: Ergo. (*Ibid.*)

Confirmatur: Illud est per se notum quoad nos, cujus oppositum nullus sanæ mentis cogitare potest, aut saltem de quo nemo serio dubitare potest, ut patet in primis principis, impossibile est idem esse, & non esse; bis tria sunt sex; totum est majus sua parte; quorum oppositum nemo unquam sanæ mentis, cogitavit, aut de eo serio dubitavit: atqui cogitari potest oppositum ejus quod est Deum esse, juxta illud Ps. 12. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*; imò ipsi Sapientes, & proli quandoque motus dubitationis indeliberatos de eo patiuntur: Ergo. (*Ibid. in arg. s. e.*)

Dico 2. Deum esse, est demonstrabile, non a priori seu per causas, sed a posteriori seu per effectus. Prima demonstratio dicitur demonstratio proter quid. Secunda, demonstratio quia. Prima pars patet; quia Dei nullæ sunt causæ. (*Ibid. art. 2. o.*)

Secunda pars prob. 1. Ex Scriptura Ps. 18. *Calli currant gloriam Dei*. Sap. 13. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri*. Et ad Rom. 1. *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles*, &c. (*Ibid. in arg. s. c.*)

2. Ratione; quia existentia causæ optimè demonstrari potest per effectum ab ea necessario dependentem, sicut per fumum demonstratur existentia ignis; atqui omnes creaturæ sunt effectus Dei, necessario ab ipso dependentes in esse & conservari: ergo. (*Ibid. o.*)

Si dicas, effectus finitos, quales sunt creaturæ, non exigere causam infinitam: Id concedo de causa secundaria, non de causa primaria, quæ sit omnium causa a nullo causata; hanc enim esse infinitam, necessarium est. Ad hanc autem esse deveniendum patebit ex sequenti articulo, in quo etiam solventur aliæ objectiones hinc pertinentes.

Solvuntur objectiones contra secundam partem primæ conclusionis.

Objicies 1. Evertendo rationem fundamentalem D. Th. hæc propositio, *Deus est, vel non est*, est per se nota: atqui tamen quidditas subjecti in hac propositione non innoscitur nobis nisi per discursum, sicut in hac, *Deus est*: ergo ruit fundamentum D. Thomæ.

R. D. Minorem: Atqui quidditas subjecti in hac propositione quoad rationem particularem & determinatam non innoscitur nobis nisi per discursum, C. Minorem; quoad rationem communem proportionatam suo prædicato, N. Minorem & Conseq. Intendimus ergo cum S. Doctore, quod, ut aliqua propositio sit per se nota, quidditas subjecti debeat sine discursu cognosci, saltem secundum eam rationem, qua proportionatur suo prædicato; ita ut proportio talis subjecti ad prædicatum, & prædicati ad subjectum ex solis terminis statim innoscatur: quod si hoc habeatur per discursum, tunc illa propositio non erit per se nota absolute, sed tantum sapientibus & discurrentibus. Porro in hac propositione, *Deus est, vel non est*, quidditas subjecti proit proportionata prædicato statim innoscitur, quia sufficit illud cognoscere sub ratione communissima entis aut nihili; de utraque enim æque verificatur, *est, vel non est*. At in hac propositione, *Deus est*, quidditas subjecti ut proportionatur prædicato non statim nobis innoscitur, quia ipsi proportionatur sub ratione entis particularis & determinati.

Obj. 2. Illa dicuntur per se nota quoad nos, quorum cognitio naturaliter nobis inest; atqui ex Damasceno l. 1. Orthod. fid. cap. 2. & 3. & aliis Patribus, quos magno numero congerunt DD. Vitase & Tournely, cognitio Dei naturaliter nobis est inserta: Ergo.

Huc argumentum multiplex solutio adhiberi potest ex S. Th. (*Ibid. ad 1.*) 1. SS. Patres posse intelligi de cognitione Dei in aliquo communi, & sub quadam confusa ratione boni ut sic, seu beatitudinis: homo enim naturaliter desiderat beatitudinem, & quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab illo: sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sed secundum quid tantum: sicut cognoscere venientem, non est simpliciter cognoscere Petrum, quamvis Petrus sit veniens. Unde etiam multi perfectum hominis bonum, *Theol. Billuart. Pars Prima.*

quod est beatitudo, existimant divitias, quidam voluptates, quidam autem aliquid aliud.

2. SS. Patres asserere, notionem Dei esse nobis innatam, quatenus per principia nobis innata discursu facili & omnibus obvio possumus cognoscere, Deum esse. (*Opus. 70. q. 2. art. 3. ad 6. & q. 20. de verit. art. 12. ad 1.*) Hæc est communior solutio, quam ipse Tournely oppositæ sententiæ patronus fateatur non esse improbandam.

3. Intelligi possunt SS. Patres de cognitione Dei per participationem seu similitudinem, in quantum, quacunquē veritate cognita, Deus (cujus quacunquē veritas est participatio & similitudo) aliquo modo cognoscitur. (*In 1. d. 3. q. 1. a. 2. ad 1.*)

Ex his inferes, Dom. Vitase a vero longè aberrasse, dum dixit universos Theologos, tum antiquos cum modernis, tum Catholicos cum heterodoxos, excipis Socinianis, notionem Dei nobis ingentam admisisse: cum ipse S. Thomas Theologorum Princeps, & alii communis cum ipso ipsam rejiciant.

Instabis multipliciter a ratione cum Vitase pro notione Dei innata. 1. Notio Dei est communis omnibus gentibus, & hominibus, sicut ipsa anima & natura: ergo censenda est animæ ingenta ab ipsa natura. 2. Si non sit congenita animæ Dei notio, eam anima efformavit ex sensibilibus; idea vero est sensibilis, cum sit finita, non potest representare Deum infinitum. 3. Deus est ens summè bonum & perfectum; atqui in nobis est a natura idea summi boni: ergo. 4. Innata est in omnium hominum animis ad religionem propensio: ergo & notio Numinis colendi: ergo.

R. Ad 1. posset negari Antecedens in ipsis laudati Theologi principis, qui hic in solutione 1. argumenti admittit veri nominis atheos esse posse, & multos id genus olim fuisse. Sed, dato Antecedente, N. Conseq. Ideo enim Dei notio est omnibus communis, non quia est ingenta, sed quia facillimè haberi potest, ita ut de Dei existentia non possit dari ignorantia invincibilis, ut probabimus infra. Ad 2. concedo, ideam finitam non posse representare infinitum quoad quid est, benè tamen quoad an est: & quomodo potest negare laudatus Auctor, ex sensibilibus posse haberi notitiam existentie Dei, cum id & Scriptura & Patres ubique clamant? Ad 3. D. Minorem: est nobis a natura idea summi boni ut existens in mente nostra, transeat; ut existens a parte rei, N. Ad 4. N. esse in animis omnium hominum innatam ad religionem propensionem, sed eam oriri ex supposita cognitione Dei.

Objicies 3. Illa propositio est per se nota quoad nos, cujus veritas ex prima apprehensione terminorum absque discursu innoscitur; atqui talis est hæc propositio, *Deus est*: ergo. Prob. Minor. Nomen Dei statim intelligitur ex prima illius apprehensione & sine discursu id, quo majus & melius excogitari non potest; atqui id, quo majus & melius cogitari non potest, intelligitur statim ex prima apprehensione terminorum existere a parte rei: ergo. Prob. Min. majus & melius est existere a parte rei & intellectu, quam in intellectu tantum: ergo. Hoc argumento utitur S. Anselm. cap. 2. Prologii.

R. N. Minorem: Ad probationem, primùm posset negari Major; forte enim ille, qui audit hoc nomen *Deus*, non statim intelligit significari aliquid, quo majus & melius cogitari non possit; id enim non est per se notum quoad nos, sed indiget demonstrari per discursum: unde fuerunt, qui crederent Deum esse corpus, scilicet Antropomorphitæ, quo tamen majus & melius cogitari potest, (*Ibid. art. 1. ad 2.*)

Sed data Majori, (*Ibid.*) nempe, quod quilibet, audito hoc nomine *Deus*, statim intelligat significari id, quo majus cogitari non potest, N. Minorem: Ex hoc enim non sequitur quod intelligat id, quod significatur per hoc nomen, esse in rerum natura, seu, ut dicunt, existere in actu exercito, sed existere dumtaxat in apprehensione intellectus, seu, ut dicunt, in actu signato: nec potest argui, quod sit in re, nisi supponatur id, quo majus cogitari non potest, esse ens reale seu possibile in rerum natura, quod non est per se notum, nec admissum a ponentibus Deum non esse; potest enim cogitari nihil hujusmodi esse, quo majus cogitari non potest, sed esse quid chimæricum & ens rationis, sibi illud gratis fingentis. Finge enim tibi chimæram necessario existentem, quid inde inferes? Existentiam esse de conceptu objectivo hujus chimære, seu existere in tua apprehensione & in actu signato, non vero existere a parte rei & in actu exercito. Ita in nostro casu. Unde quidam sic distinguunt Minorem: Id, quo majus cogitari non potest, intelligitur statim ex prima apprehensione terminorum existere a parte rei, si supponatur ut per se notum tale ens esse reale, seu possibile in rerum natura, C. Minorem: Si non supponatur ut per se notum tale ens esse reale, sed indiget probari aliunde, N. Minorem. Id autem indigere probari, constat; siquidem in eo probando desudant S. Thomas, & omnes Theologi.

Ad S. Anselmum, S. Thomas Q. 12. de veritate art. 11. ingenue fateretur, cum fuisse in opposita sententia, a qua, salva quibus reverentia, recedit. Ita & nos; nisi forte dicatur cum quibusdam, S. Anselmum probasse hoc argumento existentiam Dei esse per se notam, non absolutam, sed supposita realisitate.

Inferes: Ergo ente perfectissimo, & quo melius cogitari non potest, cogitari potest perfectius, & melius, nempe ens realiter existens? perfectius est enim existere realiter, & in intellectu, quam in intellectu tantum, ut jam dictum est. Atqui hoc implicat; esset enim cogitare ens perfectissimum, & non perfectissimum: Ergo.

R. D. Illarum: Ergo ente perfectissimo potest cogitari perfectius in actu signato, seu secundum conceptum essentialem, N. Quia in conceptu objectivo entis perfectissimi involvitur existentia. Potest cogitari perfectius in actu exercito, seu secundum realitatem, C. Neque hoc implicat; sicut non implicat, quod concipiam chimeram a se necessario existentem in actu signato, seu in apprehensione, & quod concipiam atque affirmem non existere in actu exercito, seu a parte rei. Non ergo valet consequentia a statu ideali, ad statum realem; nec sequitur absolute. Existentia est de conceptu essentiali talis entis: ergo tale ens necessario realiter existit, sed conditionate tantum, sic: Existentia est de conceptu essentiali talis entis: ergo, si existat seu si sit ens reale, necessario, & essentialiter existit: sicut ex hoc quod concipiam sensitivum esse de conceptu essentiali equi, dicendo equus est sensitivus, non sequitur absolute quod equus existat sensitivus; sed conditionate, si existat, necessario, & essentialiter existit sensitivus.

Totum hoc argumentum, cui maxime confidunt adversarii, fuit, & in forma solita jam propositum, ut efficacius, & clarior solvatur, summam sic propono. Per se notum est, Deum esse ens perfectissimum, quo perfectius cogitari non potest; atqui per se notum est, ens perfectissimum existere in re: ergo. Probatur Minor: Existere est perfectio: ergo.

R. 1. Posse negari Majorem; patet ex dictis. R. 2. N. Minorem: Tum quia indiget probatione, ut patet ex ipso argumento, in quo probatur: Tum quia id non apprehendunt Doctores perspicacissimi, S. Thomas, & major pars Theologorum: Tum tandem, quia non est per se notum, ens perfectissimum esse ens reale; sed dubitari potest, an non sit ens firmum a ratione. Et, cum dicitur in probatione, quod existentia in re sit perfectio, etiam concedimus, quod ens perfectissimum concipiatur ut existens in re: sed ex hoc quod concipiatur ut existens in re, non sequitur, quod revera existat in re, quia forte non est ens reale, sed fictum: sicut ex hoc quod concipiam chimeram existentem in re, non sequitur quod revera existat; & hoc est quod dicebamus supra, conceptum entis perfectissimi importare existentiam in actu signato, non in actu exercito.

Objicies 4. Hac propositio, *Deus est colendus*, est per se nota quoad nos: Ergo a fortiori ista, *Deus est*, quae supponitur ad primam: prius enim est esse, quam coli.

R. 1. D. Antecedens: Hac propositio, *Deus est colendus*, est per se nota quoad nos absolute, N. conditionaliter, si nempe Deus existat, C. Antecedens: sicut haec, *Parentes sunt honorandi*, est per se nota quoad nos, non absolute, sed conditionaliter, si existant Parentes. Unde negatur Conseq. 2. Dato Antecedente, N. Conseq. Quia ut aliquod principium practicum sit per se notum quoad nos, non est necesse, quod principium speculativum, in quo fundatur, sit etiam per se notum quoad nos, sed sufficit quod sit nobis notum sive per se, sive per discursum: sic, quamvis hoc principium practicum, *Parentes sunt colendi*, sit per se notum quoad nos; non est tamen nobis per se notum, qui sunt, & an sint Parentes nostri; sed id per discursum, aut aliter cognoscimus.

Objicies 5. Veritatem esse, est per se notum; atqui Deus est veritas: ergo.

R. D. Antecedens: Veritatem esse in communi, est per se notum, C. Antecedens: primam veritatem, N. Deus autem est prima veritas. (*Ibid.* ad 3.)

Objicies 6. In principis D. Thomae, puer perveniens ad usum rationis tenetur in illo primo instanti se convertere ad Deum: atqui in illo primo instanti non potest Dei notitiam assequi per discursum, tum quia tunc est incapax discursus, tum quia discursus exigit moram temporis: Ergo haec Dei notitia per se immediate illi a natura inest.

R. 1. ad Majorem: Puerum perveniens ad usum rationis tenetur dumtaxat se convertere ad Deum eo modo quo illum cognoscit: ita ut, si cognoscat illum confusè tantum sub ratione boni ut sic, seu boni honesti, ita, & non aliter tenetur ad illum converti.

2. Data Majori potest negari Minor: Quia puer tunc solum censetur pervenire ad usum rationis, quando est capax discursus;

sus: nec obstat, quod discursus requirit aliquam morulam temporis; quia primum instans rationis in puero non intelligitur instans physicum, sed morale. Insuper non desunt alia media, quibus Deus omnibus etiam pueris immotescit; puta, per inspirationem, per Parentes, aut Magistros, vel aliter, ut infra dicam.

Objicies 7. Lex naturalis quoad prima principia, qualia sunt: *Bonum est faciendum; malum est fugiendum*, est per se nota quoad nos: Ergo, & ejus Auctor.

R. D. Consequens: Ergo & ejus Auctor in communi, C. In particulari, N. Itaque per se notum est, legem naturalem esse ab aliquo in communi. At a quo? an a natura ipsa, an a ratione, an aliquo ente distincto? & quid sit illud? non est nobis per se notum, sed aliquo discursu tametsi facili probatur.

ARTICULUS II.

Utrum sit Deus; & quibus rationibus demonstratur?

Dico: Quinque potissimum rationibus probatur contra Atheos, Deum existere. (*Hic art. 3. a.*)
Antequam haec rationes proponantur, ad faciliorem illarum intelligentiam

Nota 1. Nominis Dei intelligi, etiam apud ipsos Atheos, Ens, quo majus & melius cogitari non potest; hoc est, substantiam intelligentem, creatis omnibus superiorem, omnium opificem, & directricem, independentem, immutabilem, aeternam, infinitam, immensam, purissimè actualem; uno verbo, summè & infinite in omni genere perfectam. Hanc autem, dicunt Athei, esse in re impossibilem ac purè chimericam, maxime ob illam in ea collectionem plurimum perfectionum, quae videntur inter se opposita. Utrum dentur veri nominis Athei perpendemus infra.

Nota 2. Moventia & agentia dupliciter inter se subordinantur, per accidens scilicet, & per se. Tunc est subordinatio per accidens, quando unum accipit esse seu virtutem activam ab altero, non tamen accipit actualem influxum, nec eo indiget dum actu operatur; sic filius subordinatur Patri, accipit enim virtutem agendi, & movendi a Patre, agit tamen & movet independentem ab actuali influxu Patris. Et dicitur subordinatio per accidens, quia est omnino per accidens respectu actionis, qua Pater v. gr. producit filium, quod iste filius alium filium generet, vel aliud faciat. Subordinatio per se est, quando unum movens, aut agens indiget actuali influxu superioris, ut actualiter agat, ita ut superius actu infuatur in inferius, dum agit; sic causae secundae subordinantur Deo. Porro, licet in moventibus, & agentibus per accidens subordinatis possit admitti processus in infinitum, secus tamen in per se subordinatis; quia, cum in moventibus, & agentibus per se subordinatis ultimum non agat nec moveat, nisi morum & applicatum a priori, & istud ab alio, & sic semper, ita ut ultimum non moveat aut agat, nisi ab omnium primo mediante saltètem moveatur, posito processu in infinitum nullus esset motus aut actus, quia infinitum est impertransibile, nec in eo potest deveniri ad primum: sicut, si in horologio forent infinite rotæ, quarum ultima dependeret in suo motu a motu primæ, nunquam moveretur, cum non posset unquam deveniri ad primam rotarum, quae supponitur inlinite. His notis.

Prima ratio sic proponitur; prius tamen supposito, quaedam moveri in hoc mundo, quod ipsis sensibus, constat. (*Ibid.*)

Datur primus motor omnino immobilis; atqui ille est Deus: ergo datur Deus. Major & Minor sunt probande.

Prob. Minor 1. Primus motor omnino immobilis est actus purissimus carens omni potentialitate, in tantum enim aliquid est mobile, in quantum est in potentia ad id quod movetur: unde, quod est omnino immobile, caret omni potentialitate, estque actus purissimus; atqui actus purissimus est Deus: ergo &c. Prob. haec Minor. Actus purissimus continet omnem perfectionem imaginabilem, si enim aliqua careret, esset in potentia ad illam, sique non esset actus purissimus; adeoque est id quo majus, aut melius cogitari non potest: est, inquam, substantia spiritualis, intelligens, omnium opifex, & directrix, independentis, immutabilis, aeterna, immensa, infinita, unica, &c. Ergo Deus. Patet Conseq. ex 1. Notamine.

Prob. 2. prima Minor. Primus motor omnino immobilis debet esse ens a se & independentis; alias esset mobile ab alio: ens substantiale, spirituale, intelligens, omnium opifex, & directrix; movet enim omnia & substantia & spiritualia, nec movere posset nisi cognosceret; ens increatum, necessarium, & immutabile; alias non foret immobile nec primus motor: ens aeternum, quia immutabilitas est radix aeternitatis: unico verbo, ens continens omnes perfectiones; alias

alias esset mobilis, & in potentia ad illas, ut jam dicebamus in prima probatione.

Prob. prima Major. Omne, quod movetur, ab alio movetur; atqui in moventibus per se subordinatis non potest dari processus in infinitum: ergo datur primus motor, qui non movetur, sed sit omnino immobilis. Minor patet ex 2. Notamine. Prob. Major Idem non potest esse movens, & motum secundum idem: ergo omne, quod movetur, ab alio movetur. Prob. Antecedens. Idem non potest esse in potentia, & in actu respectu ejusdem; esse enim in potentia respectu alicujus est tendere ad illud, adeoque illo carere: esse vero in actu respectu alicujus est illud jam habere; non potest autem aliquid haberi simul, & non haberi ab eodem: atqui, si idem secundum idem se moveret, esset in actu, & in potentia respectu ejusdem: ergo. Prob. Minor. In tantum aliquid movetur, in quantum est in potentia, moveri enim est reduci de potentia, ad actum; & in tantum aliquid movetur, in quantum est in actu, movere enim est actum efficere: Ergo si idem, &c.

Respondent quidem Recentiores, quibus non placet hoc communiter receptum axioma, quod videant ipsum maxime favere promotionibus physicis: Idem posse esse in potentia simul, & actu virtuali, quo possit seipsum movere ad actum formalem, variaeque exempla in hujus rei probationem congerunt; sic, inquit, vivencia ex actu virtuali se movent ad formalem: gravia se movent ad centrum; aqua calida se ipsa se restituit ad primam frigiditatem: uvæ contusæ se ipsis incallescunt: similiter calx aqua diluta, &c.

Sed contra 1. Actus virtualis, seu quod idem est, potentia activa creaturarum, non est simplex activitas, expertis omnis potentialitatis, eò quod sit potentia creata, & imperfecta, sed est partim activa, in quantum elicere potest actum, partim passiva in quantum indiget ad id etiam ab alio moveri. Unde, quantumvis supponatur in actu virtuali, ut tamen sit, & ponatur in actu formali, semper indiget ab alio moveri. Dicitur actus virtualis seu potentia activa, in quantum potest elicere actum ut mota ab alio, per quod sufficenter distinguatur a potentia pure passiva.

Contra 2. Quod aliquid sit in actu virtuali, hinc dicitur potens se movere, non actus se movens; ad hoc enim debet esse in actu formali; atqui ille actus virtualis seu potentia activa non potest se sola se reducere ad actum formalem: alias recurreret nostrum principium, quod foret simul in actu & in potentia respectu ejusdem.

Contra 3. Quod movetur est minus perfectum se solo quam conjunctum cum eo ad quod movetur, alias frustra moveretur ad illud; adeoque, quod est in actu, virtuali est minus perfectum se solo, quam cum actu formali ad quem movetur: atqui quod est minus perfectum, non potest se solo dare sibi vel alteri quod sit perfectius; nemo enim dat se solo quod non habet: Ergo.

Et si dicas, ipsum plus perfectionis habere virtualiter, isto in dictis: Ly habere virtualiter est quod minus perfectum quam habere formaliter: Ergo idem, quod ante.

Quantum ad exempla in contrarium, R. ad 1. Vivencia se movere secundum diversas partes, quarum alie sunt motæ, alie moventes. Prima pars movens est cor, motus autem cordis, licet sit elicitive a corde, est tamen efficienter a generante tamquam propria passio entis vitalis, in quantum generans dando foetui vitam participatam, ultimè determinat cor ad motum, quo mediante alias partes movet. Ad 2. Similiter impetus, quo gravia moventur deorsum, est a generante tamquam proprietas consequens naturam, sicut calor sequitur ignem. Ad 3. Idem dicendum, & frigiditatem esse aquae proprietatem, quæ, remoto obstaculo, ab ipsa dimanat, sique esse a generante: nec obstat, quod sæpe in his & similibus non extet amplius generans; si non extet supposito, extat semper virtute in ipsa rei natura, quæ dedit determinatam ad tales proprietates. Ad 4. R. per motum combustionis utrarum partes spirituosiores cum impetu e massa erumpere, & hoc motu incallescere, calidas vero alias calefacere. Idem dic de calce aqua diluta. Sed de his fusiis in Physica L. 7. de conditionibus motus: vide, si lubet.

Secunda ratio sic ponitur; prius tamen supposito quaedam fieri, seu facta esse in hoc mundo; quod ipsis sensibus, & experientia ipsius mundi constat.

Datur prima causa omnium efficiens, omnino infecta: atqui haec est Deus: ergo datur Deus. Minor patet isdem momentis ac prima Minor præcedentis rationis.

Prob. Major. Omne, quod fit, ab alio fit, & causatur, nihil enim potest efficere seipsum, alias esset antequam esset: atqui in causis efficientibus per se subordinatis non potest dari processus in infinitum; nec etiam in causis per accidens subordinatis, si non est Deus: Ergo.

Major patet. Minor quoad 1. partem etiam patet ex dic-

tis; & de hac subordinatione per se videtur procedere ratio D. Thomae, ut hic notat Sylvius: hoc sensu scilicet, quod causa prima sit causa medix, & media causa ultimæ, non tantum quia dedit illi virtutem activam; id enim facit solum subordinationem per accidens; sed etiam id quantum altum licet influat in illam, ut actu operetur & efficiat: & hoc sensu hæc ratio maxime est affinis præcedenti.

Prob. 2. pars Minoris. Licet non repugnet processus in infinitum in causis per accidens subordinatis, quando datur primum agens extra totam collectionem causarum infinitarum (& de facto datus fuisset, si generationes fuissent ab aeterno) repugnat tamen, si non ponatur primum agens extra totam collectionem: atqui, si non est Deus, non est primum agens extra totam collectionem causarum infinitarum: ergo, &c. Prob. Major. Sicut quilibet causa non est a se, se ab alia, ita etiam tota collectio non est a se, sed ab alio: atqui, ut supponitur, non datur aliud causans extra totam collectionem: Ergo, &c. Major patet, quia in omnibus prædicatis, exceptis quantitativis, aut quæ quantitatem sapiunt, valet argumentum a singulis ad totum, ut patebit discurrenti, & modo dicemus: Ergo, &c.

Tertia ratio sic proponitur. Datur ens necessarium, hoc est, cui necessario & ex natura sua competit existere: atqui tale ens est Deus: ergo datur Deus. Patet Minor, 1. quia ens necessarium est ens a se, ens improductum, independentis, immutabile, aeternum, ens a quo contingencia participant esse; quod est enim per se tale, est causa cæterorum, quæ per accidens sunt tale; adeoque ens substantiale, spirituale, intelligens, omnium opifex: Ergo Deus. 2. Ens necessarium nullis in perfectione limitibus circumscripti potest: ergo est infinite perfectum: ergo Deus. Prob. Antecedens. A quo enim posset limitari in perfectione? Non a se, non est enim causa sui; & si esset, omnem possibilem perfectionem sibi conferret. Aliunde, quod est necessarium, tantum est quantum esse potest. Non ab alio, nullum enim agnoscit superius: Ergo. (*Ibid.*)

Prob. Major: Si non daretur aliquod ens necessarium sed omnia forent contingencia, & possibile in rerum natura, nullum de facto daretur ens a parte rei; atqui falsum consequens: Ergo. Prob. sequela Majoris: ea, quæ dumtaxat dicunt possibilitatem, & contingentiam ad actum, ad eum non possunt reduci nisi per causam, quæ ipsum actum necessario continet: sic, quia aqua est in potentia ad calorem, seu calida accidentaliter, nunquam posset calefieri, nisi daretur aliquod ens ex natura sua calidum, a quo mediate saltètem vel immediate calor in aquam promanaret: Ergo, si non datur aliquod ens necessarium, cui ex natura sua, & necessario competat existere, nullum de facto daretur ens a parte rei.

Confirmatur. Pone de facto nullam entia esse, ut potest fieri, si omnia sint contingencia, nam contingens potest esse & non esse; aut saltètem fingi, nulla esse; a quo habebunt esse, si nullum sit ens necessarium existens? Non a se; quod enim non est, non potest sibi dare ut sit; non ab alio, nihil enim aliud existit, ut supponitur; ergo esse non possent: ergo forent, & non forent possibile; forent ut supponitur; & non forent, quia nihil esset a quo possint habere esse: Ergo admittendum est necessarium, a quo cætera omnia habeant esse.

Respondent Athei, quod, quamvis singula sint contingencia, tamen tota entium collectio, quam dicunt infinitam, non est contingens, sed necessaria; quia non valet consequentia a singulis ad totum, a sensu distributivo ad collectivum. Sic ex eo quod quilibet civis non sit populus, non sequitur, quod omnes cives non sint populus; ex eo quod singula partes lineæ infinite, si daretur, sint finite, non sequitur, quod linea sit finita: ex eo quod extensio possit esse sine hac vel illa figura, non sequitur, quod possit esse sine omni figura.

Sed contra 1. Hac Responsio admittit infinitam multitudinem actu, quam ut impossibilem rejiciunt Philosophi. 2. Juxta hanc Responsionem datur ens necessarium, nempe tota ista collectio entium: ergo ens in omni genere perfectum, ut supra arguebamus. Quomodo autem fingi potest, collectionem entium creatorum, & imperfectorum esse infinite perfectam, cum tota collectio partium nihil aliud sit quam partes simul sumptæ: Ergo hæc infinita entium perfectio erit, & non erit Deus.

3. Quamvis a singularibus ad totum non valeat consequentia in prædicatis quantitativis aut aliis accidentalibus, quæ vel solis singulis seorsim, vel soli collectioni, ut collectio est, conveniunt; valet tamen in prædicatis essentialibus, quæ rei secundum se conveniunt. Porro prædicata in exemplis prolati vel solis singulis seorsim, vel soli collectioni, ut collectio est, conveniunt: sic esse populus non convenit uni vel tin-

gulis seorsim, sed omnibus collectivè. Similiter infinitum, si possibile esset, non convenit partibus seorsim, quia de ratione partis est quod sit finita; sed omnibus collectivè. Insuper ex impossibili, seu absurdo, sequitur aliud impossibile: impossibile autem est, dari lineam infinitam, ea potissimum ratione quod constet partibus finitis. Item, cujuslibet figure seorsim est, posse abesse ab extensione, non omnis figure collectivè, quia extensum non potest esse sine omni figura. Et hoc maxime currit de predicatis, quæ spectant quantitatem, quia tota collectio importat in genere quantitatis aliquid supra quodlibet singulare, nimirum, majorem quantitatem. At vero in predicatis essentialibus, quæ rei secundum se competunt, legitima est consequentia a sensu distributivo ad collectivum: sic valet: quilibet homo est rationalis: ergo omnes homines sunt rationales, etiam si forent infiniti. Porro contingentia seu possibilitas ad esse vel non esse est quid essentialiter cuilibet enti singulari, ut fatetur ipsi Aetii: Ergo & omnibus, seu toti collectioni entium.

Si dicas, esse producibile est prædicatum essentialiter omni creature possibili; atqui tamen non valet hæc Conseq. Quælibet creatura possibilis est producibilis: ergo tota collectio creaturarum possibilium est producibilis: Ergo.

R. N. Minorem: Quo enim modo singulæ creaturæ possibles sunt producibiles, sic tota earum collectio est producibilis: singulæ vero creaturæ possibles sunt producibiles, non collectivè sed distributivè tantum, hoc est, non tot quin plures; ita tota earum collectio est producibilis distributivè, & non collectivè.

Verum quid moramur in solvendis Atheorum argumentis contra existentiam entis necessarii, cum illud ultro admittant; admittunt enim nedum ipsam collectionem entium, de qua modo, sed ipsam materiam, quam dicunt necessariam, æternam, increatam, infinitam, ex cujus particulis aut atomis, duplici motu recto, & obliquo velocissimè discurrantibus, fortuito exurgit mundus iste spectabilis.

Id ergo solum nobis contra ipsos incumbit probandum, quod, si consequenter loqui velint, debeant admittere Deum; atque eos in immensum ac stolidissimè errare, dum vilissimæ rei, nimirum materiae, aut ejus corpusculis, perfectiones divinitatis tribuunt.

Primum sequitur ex dictis: Quicumque enim agnoscit ens necessarium, æternum, increatum, infinitum, a se, consequenter in omni genere infinitè perfectum, ut patet ex argumento, agnoscit Deum; cum nihil aliud intelligamus, & intelligant Athei nomine Dei, quam ens infinitè perfectum; ideoque negent dari Deum, quia non concipiunt posse dari ens infinitè perfectum: cum tamen ipsam materiam talem agnoscant: Ergo, velint, nolint, agnoscunt esse Deum: in hocque palam sibi contradicunt, cum asserunt non posse concipi ens infinitè perfectum, & tamen admittunt materiam infinitè perfectam: quasi facilius concipi possit materia infinitè perfecta, quam ens spirituale infinitè perfectum; sique incurrunt eadem inconvenientia, quæ volunt declinare.

Sed, ut dixi, in immensum, & stolidissimè errant, dum divinitatis attributa materiae adscribunt. Omnibus enim pervium est, materiam ex se esse inertem, ex se nullam habere formam substantialem, sed esse meram omnium formarum capaciatem; ex se non habere motum; nec moveri, nisi ab alio vel corpore vel spiritu moveatur; esse omnis sensus, cogitationis, intelligentiæ, consilii incapacem; finge enim quam volueris materiam aut atomorum dispositionem, nunquam ex illa vim cogitandi elicies: Ergo in immensum, & stolidissimè errant Athei, dum huic rei omnium vilissimæ perfectiones divinitatis tribuunt. Assere verò, mundum hunc spectabilem ex fortuito atomorum seu corpusculorum hujus materiae concursu esse formatum, non minoris est stoliditatis & dementiae, ut infra ostendam.

Quarta ratio sic proponitur: Datur aliquod ens summè perfectum, summè nobile, summè ens, quod est causa omnium perfectionum aliorum; atqui illud est Deus: ergo datur Deus. Minor patet ex dictis, maxime ex 1. notaminè. Prob. Major: Videmus, inter entia quædam esse magis vel minus entia, magis vel minus perfecta: atqui magis & minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant magis vel minus ad aliud, quod est magis tale, & de illo diversimodè participant: sicut magis calidum est quod magis appropinquat maxime calido, & de eo magis participat: Ergo datur in rerum natura aliquod ens summè perfectum, summè nobile, summè ens, & quidem quod sit causa aliorum perfectiorum vel efficiens, vel saltem exemplaris, utpote ex cujus accessu vel recessu, majori vel minori participatione, imitatione vel dejectione descendat, aut mensuretur aliorum perfectio. Etenim, juxta commune axioma, Primum in unoquoque genere est causa cæterorum, quæ sunt illius generis, efficiens scilicet, vel exemplaris. (Ibid.)

Dico: vel exemplaris; quia, si primum in unoquoque genere non sit semper causa efficiens cæterorum illius generis, sicut v. g. ignis est causa efficiens omnium calidorum; est saltem causa exemplaris: perfectior enim alicujus generis sunt ad minus exempla imperfectiorum illius generis.

Quinta ratio sic proponitur: Datur summus profitor & gubernator; atqui talis est Deus: ergo datur Deus. Minor patet; quia Deum nihil aliud intelligimus quam supremum Numen, omnia regens & gubernans. Prob. Major: videmus quod aliquæ, quæ cognitione carent, operantur non temerè & fortuito, sed propter finem; quod apparet ex hoc quod semper aut frequentius eodem modo operantur: cæli v. g. eodem modo semper moventur, gravia deorsum, levia sursum semper feruntur, &c. Atqui, quæ non habent cognitionem, non tendunt in finem, nisi directa ab aliquo cognoscente & intelligente, sicut sagitta non pertingeret ad scopum, nisi dirigeretur a sagitante: Ergo datur sapientissimus gubernator & suprema quædam Intelligentia, omnia in suos fines dirigens, quæ Deus est.

Dicunt Athei, illos actus causarum naturalium non procedere a directione alicujus intelligentis, sed ex necessitate, & inclinatione naturæ agentis. Sed contra: hoc dato, non excludenda tamen est ideo, sed e contra admittenda est intelligentia dirigens, quæ harum causarum naturalium partes, fabricam, dispositionem, inclinationem ad hos motus & fines effecerit. Sic, licet domus proportionata sit ad habitationem hominum, ita tamen habet dependentiam a directione alicujus intelligentiæ.

Additur 6. ratio, præcedenti affinis, a contemplatione hujus mundi, quæ sic breviter ponitur. Omnia, quæ in hoc mundo elucescunt mirabilia, sive in cælo, sive in terra, sive in mari, sive in ipso solo homine, secundum fabricam, ordinem, situm, motum, dispositionem, pulchritudinem, varietatem, consensum in ordine ad suos fines, non possunt absque dementia refundi in fortuitum atomorum concursum, sed necessariò adscribi debent intelligentiæ cuidam supremæ horum omnium opifici & directrici. Atqui hæc est Deus, cum per Deum intelligant omnes supremum mundi conditorem & rectorem: Ergo datur Deus. Prob. Antecedens: opus exquisitè elaboratum, v. g. domus regia, horologium, elegans statua, vel pictura, non potest absque dementia adscribi casui vel fortunæ, & non peritissimo artificio: Ergo a fortiori ordinata & mirabilis totius mundi, imò solius corporis humani, dispositio, in qua longè plus artificii & industriz elucet, quam in exquisitissimis operibus arte humana factis, non potest absque dementia fortuito atomorum concursu & non supremæ intelligentiæ adscribi. Et sanè, si mundus iste, tanta partium varietate, tamque apta omnium in suos fines dispositione mirabilis, fortuito atomorum concursu sit factus; dicant velim, cur eodem hoc fortuito atomorum concursu non sit aliquando effectum horologium, vel regale palatium, vel pictura & alia, quæ videmus arte humana fieri? vel, ut ait Tullius l. 2. de nat. Deorum, quare poemata Homeri non fiunt similiter ex concursu fortuito caracterum, vel regia domus ex fortuita ligoorum & lapidum congerie, vel tabule pictæ ex fortuito colorum in eas delapsa? Hanc rationem fusiùs expositam videsis apud Auctores.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Nulla scientia probat suum objectum; atqui Deus est objectum Theologiæ: ergo.

R. 1. D. Majorem: Nulla scientia probat suum objectum ex propriis principiis, transeat Major: ex aliunde mutatis, N. Nostræ autem rationes mutuatae sunt ex scientiis naturalibus, ut jam antea diximus.

Dixi: transeat Major; quia nihil verat Theologiam probare existentiam Dei ex propriis principiis, scilicet fidei, ut fecit D. Thomas hic in arg. *Sed contra*, ex illo Exod. *Ego sum, qui sum*. Unde.

R. 2. D. eandem Majorem: Nulla scientia naturalis probat suum objectum, C. Majorem ad sensum prioris solutionis. Nulla scientia supernaturalis, N. Majorem. Ratio disparitatis est; quia scientiæ naturales in hoc consistunt, quod ex principiis lumine naturali notis probant proprietates de suo objecto, adeoque illud supponunt. Theologia verò versatur ad probanda ea omnia, quæ ex immediatè revelatis deduci possunt; attingit enim omnia, quæ cadunt sub revelatione divina virtuali: & cum hujusmodi possit esse & de facto sit existentia Dei, etiam ex propriis principiis illam probare.

Objicies 2. Existentia Dei est articulus fidei; atqui quæ sunt fidei non demonstrantur: ergo.

R. 1. Quod existentia Dei, & alia hujusmodi, (*Hic art. 2. ad 1.*) quæ per naturalem rationem sciri possunt, non sunt

sint articuli fidei, sed præambula ad articulos fidei. Fides enim præsupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile: nihil tamen prohibet illud, quod secundum se est demonstrabile & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit.

Hinc fluit 2. Responsio, distinguendo Majorem: existentia Dei est fidei respectu illorum, qui per demonstrationem naturalem illum non sciunt, C. respectu eorum, qui illum sciunt, N. Majorem.

Instabis: Existentia Dei est simpliciter articulus fidei, & pro omnibus: ergo. Prob. Antecedens ex Apost. ad Hebr. 11. dicente: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*: atqui nemo est, quantumvis doctus, qui non debeat accedere ad Deum: ergo.

R. Apostolum loqui de Deo ut Auctore supernaturali, qui ut talis per solam fidem noscitur. Hunc sensum indicant verba sequentia; dicit enim Apostolus: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: Id est, quia est auctor gratiæ & remunerator gloriæ. Potest etiam intelligi Apostolum non de illis, qui demonstrationem habent de existentia Dei, sed de illis, qui illa carent.

Instas: ergo peioris est conditionis Theologus seu Philosophus Christianus, quam Rusticus. Probatur illatio: 1. Quia iste Theologus non habet meritum fidei, quod habet Rusticus. 2. Quia major est certitudo fidei quam habet Rusticus de existentia Dei, quam certitudo demonstrationis quam habet Theologus aut Philosophus Christianus: ergo.

R. N. Illationem. Ad 1. probationem, N. Antecedens: quamvis enim Theologus seu Philosophus Christianus non habeat fidem formalem actualem de existentia Dei, eam tamen habet in preparatione animi, ita ut illum crederet si non sciret, unde non amittit meritum fidei. (*2. 2. q. 4. art. 3. ad 2.*) Ad 2. probationem, D. Antecedens: Major est certitudo fidei quam certitudo demonstrationis, solitariè sumptæ, C. Antecedens, quam demonstrationis, firmatè testimonio divino, N. Antecedens. Philosophus autem Christianus, qui scit demonstrare esse Deum, novit etiam per judicium reflexum hanc veritatem firmatè esse divino testimonio, & posse esse objectum fidei infallibilem, imò eam includi in his propositionibus: *Deus est auctor supernaturalis, Deus est trinus*; quas divina fide credit. Hinc maxime firmatur circa illam veritatem, intelligens eam infallibilem, quæ etiam ab ipso Deo proponitur & revelatur ut vera, & quæ includitur in iis, quas fide divina credit; sique in eo remanet saltem virtualitè certitudo fidei. Sicut, qui fecerit aliquam demonstrationem, quam videret a suo magistro, vel aliter doctissimo viro approbari ut veram, absque dubio maxime firmaretur in sua demonstratione, intelligens eam esse a deceptione immunem, quam doctissimus vir approbat ut veram.

Respondent quidam, non implicare, quod Philosophus Christianus assentiar huic propositioni, *Deus est*, & propter evidentiam & propter revelationem, tanquam propter motum certius ipsa evidentiâ. Hujusmodi tamen assensus, cum non sit de re obscura, non erit propriè & strictè fidei, quæ est juxta Apostolum argumentum non apparentium, sed large tantum & impropiè.

Objicies 3. Non potest demonstrari, Deum esse, nisi per effectus; atqui effectus non sunt proportionati ei, utpote finiti infinito: ergo.

R. D. Minorem: Effectus non sunt proportionati, ut per eos sciamus quid sit Deus, transeat Minor: ut per eos sciamus quod sit, N. Minorem. Posito enim effectu quocumque, necesse est, & ponere causam, cum habeat necessariam connexionem cum illa. Dixi: transeat; quia ex natura effectus etiam improporionati alicuius saltem, & imperfecta notio nature causæ haberi potest per analogiam. (*Ibid ad 3.*)

Instabis: Non potest cognosci Deus quoad an est, nisi cognoscatur quoad quid est; atqui per effectus, ex transire permissis, non potest cognosci quoad quid est: ergo nec quoad an est. Prob. Major: existentia est de quidditate Dei: ergo.

R. D. Minorem: per effectus non potest haberi notio Dei quoad quid est directè & per se, transeat ut supra. Indirectè & per accidens. N. Minorem. Eo igitur quod sit effectus, directè probatur quod sit causa: sed quia aliunde existentia est prædicatum essentialiter causæ, indirectè probatur quod sit, valde tamen imperfectè, cum longè alias plures perfectiones involvat Deus.

Objicies 4. Si esset Deus summè sapiens, mundi rector, non permetteret tot monstra & mala, tam in moralibus, quam in naturalibus. 2. Non sineret, bonos oprimi & affligi, dum mali prosperant: ergo.

R. ad 1. ex S. Aug. in Enchyrid. quod cum Deus sit summè bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeò omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam

de malo: hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet, ut esse permitat mala, & ex eis eliciat bona. (*Hic art. ad 1.*)

Ad 2. R. inde potius probari existentiam Dei, & alterius vitæ. Si enim naturale & justum sit, virtutum præmiari & peccatum puniri, & in hac vita sapiens contrarium accidat: ergo datur alia vita, in qua a supremo Judice, & virtutis merces & vitio poena tribuitur.

Insuper multæ sunt rationes (de quibus forte, dum de Providentiâ) propter quas Deus sinat malos temporalitè prosperare, bonos e contra affligi; & maxime, ut inde discamus hæc peritura, & caduca spernere mundi commoda, quæ tam malis quam bonis sunt communia.

Instabis contra 1. solutionem. Contrarium perfectum necessariò & ex natura sua habet, quod destruat totale suum contrarium: ergo, si datur summum & infinitum bonum, scilicet Deum, nullum potest dari malum, etiam sub prætextu ex eo elicendi bonum.

R. D. Majorem: contrarium perfectum ex natura sua habet, quod destruat totalitè suum contrarium formalitè, & in proprio subiecto, C. Effectivè & in aliis subiectis, subdividitè; si sit causa univoca, & agat necessariò, C. si sit causa æquivoca, aut agat libere, N. Igitur ratio infinitæ bonitatis, quæ est in Deo ut in proprio subiecto, excludit probris ab eo omnem rationem mali, ita ut sit in se ipso summè bonus & nullatenus malus. Sed dum effectivè communicat suam bonitatem creaturis, ab illis non expellit omnem rationem mali; tum quia, cum sit causa altioris ordinis, adeoque æquivoca, non potest illis totam suam bonitatem communicare; tum quia, cum in illis agat libere, talem & tantum ipsis bonitatis gradum communicat, prout ipsi placuerit.

Objicies 3. Nulla ratio ex allatis, neque omnes simul efficacitè probant, esse Deum: ergo. Probatur Antecedens: Prima probari, dari primum motorem: Secunda, primam causam: Tertia, ens necessarium: Quarta, ens maxime perfectum: Quinta, supremum gubernatorem: Sexta, mundi conditorem: atqui hoc non sufficit ut probetur dari Deum: ergo. Probatur Minor: ultra hæc omnia, Deus est unus, æternus, immutabilis, immensus, omnipotens, infinitus &c. atqui, ens tale existere, non probatur per assignatas rationes: ergo.

R. N. Antecedens: ad probationem N. Minorem. Ad probationem D. Minorem: atqui ens tale existere non probant immediate rationes assignate, C. Minorem. Non probant saltem mediatè, N. Minorem; ut patet ex ipsis rationibus supra explicatis: sic posito & probato, quod sit primus motor, statim sequitur quod sit actus purissimus & omnimodè perfectus, adeoque quod sit æternus, immensus, immutabilis, omnipotens, infinitus: etiam unus; quia non possunt esse duo summè perfecta, ut dicemus dum de unitate Dei. Idem dicendum est de aliis probationibus, ut videre est.

R. 2. Quod, licet nostræ rationes hæc omnia attributa non evincerent distinctè, hinc tantum sequitur illas non sufficientè demonstrare Deum quoad quid est, non tamen quoad an est; hæc enim omnia & distincta attributa pertinent ad questionem, quid est. Ut autem satisfactæ quæstioni, an si Deus, sufficit ut demonstretur existere tale ens, quod correspondet conceptui imperfecto & confuso, quem solumus formare dum nomen Dei audimus: alias confunderetur quæstio quoad quid est, & quæstio quoad an est.

Instabis: Athei admittunt ens necessarium, independens, improductum, perfectissimum, scilicet, ipsam materiam seu mundum, & tamen negant dari Deum: ergo nostræ rationes sunt insufficientes.

R. D. Antecedens: Athei &c. & loquuntur consequenter ad sua principia, N. Antecedens: Et non loquuntur consequenter ad sua principia, C. Antecedens. Posito enim, materiam seu mundum esse necessarium, æternum, independens, infinitè perfectum, sequitur esse Deum, ut patet ex dictis.

Alias objectiones, quæ militant contra quamlibet demonstrationem in particulari, prævenimus in corpore articuli.

Ex his colliges, quam immerito recentior Scotista has D. Thomæ rationes, quas semper & feliciter adhibuit venerabilis antiquitas, quasque passim usurpant Theologi, flocci faciat tanquam nullius momenti, & quæ nihil probent, sed supponant probandum.

ARTICULUS III.

Utrum demonstrationes Cartesii de Dei existentia sint admittendæ?

Cartesius duas commentus est demonstrationes de Dei existentia, quas ineluctabiles facit, quasque usurpant non pauci recentiores tam Philosophi, quam Theologi.

Prima demonstratio Cartesii 3. mediet. Metaphys. hac est. Exat in nobis idea entis infiniti & summè perfecti; atqui hæc non nisi ab ente etiam infinito & summè perfecto haberi potest: ergo existit ens infinitum & summè perfectum: ergo Deus. Patet Major: non enim alia ratione meliora deterioribus anteposimus, quam quia ad ideam entis summè perfecti nobis insitam propriis accedere videmus. Prob. Minor: Hæc idea neque a nobis ipsis, neque a parentibus, aut magistris, neque a rebus sensibilibus ortum habere potuit: ergo a solo Deo. Prob. Antecedens: Summa perfectio, quam exhibet idea ista, neque nobis, aut parentibus, aut magistris, aliisve rebus sensibilibus inest; atqui, si idea ista summa perfectionis a prefatis proficere, in eis deberet esse summa perfectio representata per illam: ergo. Prob. Minor: quia quidquid perfectionis est in effectu, debet contineri in causa vel formaliter, vel saltem eminentè.

Secunda demonstratio Cartesii 5. mediet. Metaphys. hac est.

Quidquid in idea clara & distincta alicujus rei comprehenditur, id de ea re verum est, seu verè affirmari potest; atqui in idea clara & distincta Dei existentia actualis comprehenditur: ergo de eo affirmari potest. Major est certa ex supra dictis. Prob. Minor: Deus est ens summè perfectum; atqui in idea clara & distincta entis summè perfecti comprehenditur existentia actualis: ergo. Prob. Minor: In idea clara & distincta entis summè perfecti comprehenditur omnis perfectio; atqui existentia actualis est quedam perfectio: ergo. (*Ibid.* ad 3.)

Queritur ergo, utrum hæc due rationes, tanquam veræ demonstrationes existentie Dei sint admittendæ? Et R. negativè pro utraque.

§. I. De prima demonstratione Cartesii.

Dico 1. Primam ejus Minorem, nempe, ideam entis infiniti, & summè perfecti non posse esse nisi ab ente summè perfecto & infinito, esse falsam.

Prob. 1. Res finita & imperfecta non exigit causam infinitam & summè perfectam; atqui idea Dei, quæ est in nobis, est finita & imperfecta: ergo non necessario a Deo proficisci debet, sed ab aliis rebus creatis ortum habere potest. Prob. Minor: Duo in idea distinguenda sunt, juxta ipsam Cartesium, quorum unum habetur ab intellectu, aliud ab objecto: idea enim 1. Est accideus menti inherens, vel saltem modus ejus, aut certè perceptio actualis, & hæc est ab intellectu. 2. Est representatio hujus potius quam illius objecti, & hoc, inquit, habetur ab objecto. Primum vocari potest realitas, seu perfectio objectiva ideæ: atqui utrumque est quid finitum & imperfectum: ergo. Minor pro prima parte patet & admittitur a Cartesio. Prob. 2. Pars: hæc idea Dei, quæ nobis inest, non representat nisi aliquid finitum: ergo realitas seu perfectio ejus objectiva est finita & imperfecta. Patet consequens ex Cartesio, qui totam perfectionem ideæ desumit ex perfectione rei infinite representatæ. Prob. Antecedens: hæc idea, juxta ipsam Cartesium & rei veritatem, representat tantam negativè infinitionem ipsam, & ipsam rei infinitam positivè quidem, sed inadæquate: (Duo enim in ente infinito distinguenda sunt, scilicet, res ipsa quæ est infinita, & ipsa infinitio qui infinita est, ex ipso Cartesio) atqui representare infinitionem negativè & representare positivè sed inadæquate rem infinitam, est representare aliquid finitum: ergo. Prob. 1. pars Minoris: representare aliquid negativè est representare, ut loquuntur Theologi post D. Dionysium, per excessum seu per remotionem, id est, est representare non quid res sit, sed quid non sit; adeoque representare infinitionem negativè non est representare quid sit infinitum finitum est: ergo representare infinitionem negativè est representare aliquid finitum. Prob. 2. pars Minoris: representare rem infinitam positivè, sed inadæquate, est positivè exhibere rem quæ est infinita, sed non omne quod in ea latet, adeoque est representare rem, cui, prout representatur, potest aliquid adjici, scilicet id, quod in ea latet & per ideam non representatur: atqui id, cui, prout representatur, potest aliquid adjici, est finitum sub hac ratione, id est, quatenus representatur: ergo representare rem infinitam positivè, sed inadæquate, est representare aliquid finitum, seu, ut magis propriè loquamur, est representare ens infinitum sub ratione finiti, seu saltem non infiniti.

Confirmatur 1. Ideæ, representanti inadæquate tantum ens infinitum, deest perfectio qua adæquate representet, foretque perfectior si ipsam adæquate representaret: atqui idea, cui deest aliqua perfectio, & qua potest dari alia perfectior, non est infinita & summè perfecta: ergo.

Confirmatur 2. Perfectio ideæ non desumitur ex perfectione rei representatæ, sed ex modo representandi; perfectiones enim representatæ non sunt perfectiones ideæ, sed perfectio ideæ est ipsa rei representatio: atqui hæc idea Deum infinitum modo imperfectissimo representat, utpotè inadæquate: ergo est idea imperfecta & finita, adeoque non exigit causam sui infinitam & summè perfectam.

Confirmatur 3. Si realitas objectiva ideæ Dei foret infinita & summè perfecta, vel foret ipse Deus, vel aliquid aliud a Deo; atqui neutrum dici potest: ergo. Prob. Minor: non primum, ut fateri videtur Cartesius, remittentibus tamen quibusdam ejus discipulis; quia alias daretur in hac vita naturalibus viribus intuitiva visio Dei, quod juxta saniores Theologiam propriam est Beatis, & quod etiam videtur damnatum in Concilio Vien. contra Begardos & Beguinis sub Clementem V. ut refertur in Clem. *Ad nostrum*, de hæret. *Deus enim lucem inhabitat inaccessibilem* 1. ad Tim. 6. Et videmus nunc (enim) *per speculum in enigmate: tunc autem facie ad faciem* 1. ad Cor. 13. Non etiam secundum, quod intendit Cartesius; quia ipsa idea foret alter Deus; nihil enim nomine Dei aliud intelligitur, quam ens infinitum & summè perfectum: Ergo.

Dicendum igitur, omnem ideam, omnem notitiam, quam habemus de Deo, a rebus sensibilibus ortum habere triplici via. 1. Per additionem, quatenus perfectiones, quas in creatis videmus dispersas, in una superiori ratione colligimus, & omnis mentis conatu amplificamus, & ultra quæ fingimus, longè plura superesse adhuc putamus. 2. Per remotionem, in quantum imperfectiones, quas in visibilibus deprehendimus, ab illo ente superiori & summè perfecto removemus. 3. Per analogiam seu translationem, quatenus ex cognitione entis creati ducimur in cognitionem entis increati, quod sit causa & principium omnium creaturarum. Unde Apost. *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, &c.

Prob. 2. Omnis realitas sive entitativa, sive, ut vult Cartesius, objectiva idearum nostrarum efficitur totalitè a mente nostra, & non ab objecto: ergo. Prob. Antecedens: si cingam in animo meo ideam entis non existentis, sed tantum possibilis, puta Antichristi, mundi alterius ab isto &c. hæc idea habebit realitatem etiam objectivam, cum sit idea entis possibilis: atqui tamèn ista realitas etiam objectiva non habebitur ab Antichristo seu mundo altero, siquidem non existunt actu ut possint aliquid causare, sed a sola mente, hanc speciem ad libitum componente.

Dico 2. Majorem syllogismum Cartesii non esse ita certam & evidentem, quin eam possit negare Athens. Dicit enim, se non habere ideam entis infiniti & summè perfecti, sed tantum rerum sensibilibus & creaturarum: quod autem meliora deterioribus præponat inde fieri, quia priora magis ipsius appetitui & rationi consentanea esse experitur. Quid ad hæc Cartesius?

§. II. De secunda demonstratione Cartesii.

Quantum ad 2. demonstrationem: omitto nunc, Cartesium committere circulum vitiosum in suo syllogismo. Probat enim existentiam Dei per hoc principium: quidquid in idea clara &c. & veritatem hujus principii probat per existentiam Dei; docet enim, omnem certitudinem cognitionum nostrarum repeti debere ex hoc principio, *Deus est verax & bonus*. Hoc, inquam, nunc omisso,

Dico 1. Totum syllogismum Cartesii in sua 2. demonstratione niti supposito, quod negatur ab Atheis; nec est evidens, & quod debuisset prius a Cartesio probari, scilicet ideam claram & distinctam entis infiniti & summè perfecti, quam mente zero, esse ideam entis realis seu possibilis, & non entis alicujus chimerici quod tantum in intellectu possit existere. Duplicis generis enim sunt entia, ut omnibus obvium est: alia sunt, quæ existunt vel existere possunt a parte rei & dicuntur realia; alia, quæ in intellectu tantum, nusquam a parte rei existere possunt, & vocantur entia rationis. Ex hoc itaque quod in idea clara & distincta alicujus entis, quod mente concipio, video includi existentiam, sequitur, quod illud existat, sed eo modo tantum quo est ens; adeo ut, si sit ens reale, existat a parte rei; si verò sit ens rationis, in intellectu tantum. Ut ergo illud ens, in cuius idea comprehenditur existentia, probetur existere a parte rei, debet antè probari seu supponi ut evidens, tale ens esse reale, seu possibile a parte rei. Jam autem cum non probet Cartesius, ideam entis infiniti & summè perfecti esse ideam entis realis & possibilis, nec id aliunde sit per se evidens, hoc enim ipsum est, quod queritur; hoc est quod Athei pernegant; quin imò quod & intellectui nondum per alias demonstrationes convicto, & chimericum & omnino impossibile videtur, utpotè continens perfectiones in comprehensibiles, puta infinitatem, aseitatem, independentiam, omnipotentiam &c.; & etiam quedam alia, quæ videntur sese destrue-

ARTICULUS IV.

Utrum possit dari ignorantia invincibilis de existentia Dei.

Nota: Ignorantia invincibilis dicitur, quæ morali diligentia vinci non potest, & ideo est involuntaria, atque inculpabilis. Ignorantia vincibilis est, quæ morali diligentia vincitur potest; sique est voluntaria in causa, nempe in negligentia addiscendi, estque culpabilis.

Item ignorantia alia est negativa, quæ nihil aliud est quam mera nescientia, seu incogitantia. Alia positiva, quæ est judicium erroneum, quo quis judicat positivè esse, quod non est; aut non esse, quod est, v. gr. non esse Deum.

Dico: Non potest dari ignorantia invincibilis, sive positiva, sive negativa, de existentia Dei, ut authoris naturalis. Est communior. Dico: ut authoris naturalis; Et enim existentiam Dei ut authoris supernaturalis posse invincibiliter ignorari, extra controversiam est; datur enim infidelitas negativa.

De ignorantia positiva satis constat, quia non videtur possibile, quod homo judicet Deum non esse, aut ad id judicandum mentem applicet, rebus occurrant ipsi rationes dubitandi de opposito; cum omnes creature clament Deum: quas rationes si expendere, procul dubio cognosceret esse Deum: ergo, si non expendat, nec ulterius inquirat, error ejus erit vincibilis. Quantum autem ad ignorantiam negativam, quidam eam admittunt, saltem ad breve tempus, & maxime in dilecto rationis. Ita Molina, & quidam ejusdem Societatis. Ceterum

Prob. conclusio pro utraque parte: 1. Ex Scriptura Sap. 13. dicitur: *A magnitudine speciei, & creaturæ poterat cognoscibiliter Creator horum videri*: Et ibid. infra: *Si tantum potuerunt scire, ut possent estimare seculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt*. Ad Rom. 1. dicuntur indiscriminatum inexcusabiles, qui Deum ignoraverunt: ergo vincibiliter, & culpabiliter ignoraverunt. Ps. 78. dicitur: *Effunde iram in Gentes, quæ te non cognoverunt, & in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*; atqui id non diceret Propheta divinitus inspiratus, nisi ignorantia eorum foret vincibilis, & culpabilis: ergo.

Prob. 2. Ex Patribus: August. in Ps. 74. dicit: *Deus ubique secretus, ubique publicus, quem nulli licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare*. Chrysost. hom. 9. ad popul. Antioch. in hæc verba: *Cæli enarrant gloriam Dei, dicit: Scythæ, & Barbarus, & Judæus, & Ægyptius, & omnis homo super terram vadens, hæc vocem audit. in hunc pariter librum & idiotæ & sapiens intueri poterunt*. Greg. Magnus libr. 27. Moral. c. 3. *Omnis homo eo ipso quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit, Deum esse*.

Prob. 3. Ratione triplici. Prima, quæ etiam satisfacit fundamento adversæ sententiæ. Quamvis existentia Dei non sit per se nota quoad nos, ut diximus supra, sed sit ex creaturis demonstrabilis, hæc tamèn demonstratio est tam facilis, tam obvia, ut nullus sit mentis compos, quantumvis rusticus, aut barbarus, qui illius non sit capax; aut saltem, cui ex inspectione mundi, aut sui ipsius, non incidat aliqua suspitio, aut conjecturalis opinio alicujus supremi Numinis, aut Rectoris, ut patet ex Scripturis, & Patribus citatis; qua posita, tenetur inquirere quis sit: quod si negligat, vincibiliter ignorat: ergo.

2. Ratio: Non possunt ignorari invincibiliter prima præcepta legis naturæ: ergo nec illorum Author, qui est Deus. Antecedens communiter admittitur, & patebit ex alibi dictendis. Consequentia etiam patet: qui enim novit, quedam esse præcepta aut prohibita, statim & absquè difficultate infert ea esse præcepta, vel prohibita ab aliquo superiore: ergo.

3. Ratio: Si homo posset invincibiliter ignorare Deum, quantumvis scelestus foret, nullum peccatum mortale committeret, absurdum Consequens: ergo & Antecedens. Prob. sequela. peccatum mortale est offensa, & injuria Dei; atqui non potest offendi, aut injuria affici, qui invincibiliter non cognoscitur: sicut ille, qui occideret Regem invincibiliter, ignorans esse Regem, non foret reus criminis læsæ majestatis: ergo.

Hic notanda est hæc propositio damnata ab Alexandro VII. *Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio libera divine legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale disolvens amicitiam Dei, neque æterna pena dignum*.

Dices: saltem ad breve tempus, in prioribus instantibus rationis, videtur admittenda ignorantia negativa invincibilis de Dei existentia. Prob. Notitia Dei, ex dictis, non habetur nisi

trare, v. gr. libertatem & immutabilitatem, immensitatem, & indivisibilitatem, proprietates corporum, & spirituum &c.) cum, inquam, Cartesius nec probet, hæc ideam entis infiniti esse entis realis, possibilis, nec id aliunde evidens sit, contra ipsum in forma sic arguo:

Vel supponit Cartesius, ideam entis infiniti, & summè perfecti esse ideam entis realis, & possibilis, vel non; sed tantum esse ideam entis chimerici, & ab intellectu suo conficti; atqui, si primum dicatur, supponit id, de quo est questio, & quod debet probari; hoc enim ipsum est, quod queritur, hoc quod ad atheis negatur, & ab ipsis impossibile, & chimericum omnino, propter contradictiones in ipso apparentes, ut jam diximus, reputatur. Si secundum, nihil aliud probat, quam quod illud ens existat in intellectu, non verò a parte rei. Quo posito, sic iterum in forma distinguo illius paralogismum.

Quidquid in dea clara, & distincta alicujus entis comprehenditur, id de ea re verum est, seu verè affirmari potest, transeat Major: atqui in idea clara, & distincta entis infiniti, & summè perfecti includitur existentia; distinguo Minorem cum atheis; & hæc idea entis infiniti, & summè perfecti est idea entis rationis tantum, a parte rei impossibile, C. Minorem: est idea entis realis, & possibilis a parte rei, N. Minorem. Ad hunc sensum distinguo Consequens: ergo verè existit ens infinitum, & summè perfectum, verè existit in intellectu, C. Conseq. Verè existit a parte rei, N. Conseq. Fateor ergo, me non posse concipere ens summè perfectum, nisi concipiam, ut existens, ita ut idea existentia necessario coniecitur ideam entis infiniti, sed nihil est necesse illud ens infinitum, illiusque existentiam, de quibus cogito, extrahere intellectum extare a parte rei, ex hoc quod existit in intellectu meo cogitante de illis. Non enim valet Consequentia a statu ideali ad statum realem, cum multa entia rationis in mente existant; quæ nec sunt, nec existere possunt a parte rei: ante omnia igitur Cartesio incumbat probare contra atheos, nec infinitum, & summè perfectum non esse chimericum, nec impossibile a parte rei, ut ex illius idea clara, & distincta demonstraretur actualem ejus existentiam a parte rei. Hæc fundamentalis ratio insinuat a D. Thom. 1. p. q. 2. art. 1. ad arg. 2. quod non nullum differat a demonstratione Cartesii. Confer Art. 3. hujus Dissert. obj. 3.

Dico 2. Falsum esse suppositum Minoris, scilicet, dari in hoc statu clarum, & distinctam ideam Dei, seu entis infiniti & summè perfecti.

Prob. 1. Idea rei alicujus, ipsi ut plurimum dissimilis, non est clara; sed idea, quam habemus de Deo in hac vita, est ipsi ut plurimum dissimilis: ergo. Patet Minor: est enim infinita, & inadæquate, ut dictum est; atqui nulla est similitudo inter finitum, & infinitum, nec etiam inter summè perfectum, & ideam ejus imperfectam, seu inadæquatam. Prob. Major: Idea est imago rei; atqui imago dissimilis rei, quam debet representare, licet in se possit esse clara, respectu tantum rei representandæ non potest dici clara, sed potius obscura, & confusa, v. gr. imago Cæsaris eleganter depicta, sed parum ipsi similis, in se quidem erit clara, sed respectu Cæsaris obscura: ergo. Item, ut exemplo Cartesii utar,

Confirmatur 1. Si quis tractum alicujus maris prospiciat, exemplum est Cartesii, idea maris, quam habebit, erit quidem clara respectu istius portiunculæ maris, quam videt, obscura verò, & confusa respectu totius maris: ergo similiter idea finita, & inadæquate, quam nunc habemus de Deo, erit quidem clara respectu illius, quod explicite, & expressè representat, scilicet finiti, sed obscura, & confusa respectu infiniti.

Confirmatur 2. Ut sciam, ideam infiniti, quam habeo, esse claram, & distinctam, debeo ipsum infinitum clarè, & distinctè cognoscere; sed id non cognosco in hac vita, nec cognoscere possum: ergo saltem non certo scio, ideam illius esse claram, vel distinctam. Prob. Major: idea est imago rei, ut jam dixi; atqui ut cognoscam imaginem alicujus rei v. gr. Cæsaris, esse respectu illius claram, & distinctam, ipsum Cæsarem debeo pranoscere: ergo.

Prob. 2. Idea clara, juxta Cartesium 1. part. principiorum, & ejus sequaces, ea est, quæ sola mentis attentione innotescit; atqui idea Dei, prout nunc habetur, sola mentis attentione non innotescit, sed per discursum ex sensibilibus, ut dictum est, analogicè, & per remotionem imperfectionum acquiruntur subobscura semper, & caliginosa: ergo. Prob. Minor: quis enim est tam acris ingenii, qui solo mentis intuitu, sine ope ullius discursus, aut superioris auxilii cognoscat ens infinitum, æternum, immensum, omnipotentem, liberum simul, & immutabile, immensum, nec divisibile, & alia hujusmodi, quæ incompossibilia videntur; maxime, cum juxta Scripturas, *verè Deus sit absconditus*. Isai. 45. v. 15. *qui posuit tenebras latibulum suum*. Ps. 17. & in cuius circuitu nubes & caligo. Ps. 96.

per discursum; atqui puer in primis instantibus rationis non videtur capax hujus discursus: ergo.

R. N. Assumptum: quia Scripturae, & Patres nullam faciunt personarum aut temporum exceptionem, & rationes nostrae currunt pro quocumque tempore, & qualibet persona. Unde ad probationem N. Minorem; quia puer non censetur pervenisse ad usum rationis, nisi in quantum est capax discursus saltem facilis, qualis est hic, hoc enim est uti ratione. Insuper puer non pervenit ad usum rationis in uno instanti physico, sed morali, quod complectitur aliquam moram temporis; ita ut, antequam usum rationis completum obtineat, primum per rationem illucescere incipientem, mundum, creaturas, parentes, seipsum noscat; deinde eadem ratione se magis evolvente cognoscit hanc non esse à se, sed ab aliquo, sicutque jam illorum auctoritas imperfectam aliquam notitiam habet, inde quae facile percipit se teneri ulterius inquirere, quis sit ille auctor. Quod si haec forte non sufficiant, non abnuimus admittere eum quibusdam recentioribus præter creaturam inspectum, non deesse Deo alia media, quibus omnibus, in primo instanti rationis, non solum se possit revelare, sed & de facto se revelet, puta, per inspirationem, per parentes, & magistros, vel per aliquem alium modum, juxta conditionem & capacitatem personarum: quia, cum Deus sit ab homine necessario colendus ut omnium Auctor & Dominus, atque possidendus ut ultimus finis, ad suam ejus providentiam pertinere videtur, ut cum usu rationis culibet homini ingerat sui notitiam, quovis modo tandem id faciat.

Inferes: ergo nullus unquam potuit, potest, aut poterit ignorare Deum etiam vincibiliter, proutque nullus unquam fuit, est, aut erit atheus; atqui falsum videtur Consequens, cum plures antiqui & probati Auctores non paucos referant atheos; imò narrent historiam, integras nationes Americae nullum agnovisse Deum: ergo.

R. Atheos multiplicis generis distingui. Atheus dicitur quasi sine Deo. Quidam ergo dicuntur athei speculative & proprie, quales sunt, si sint, qui mente seu judicio interno negant dari Deum. Alii dicuntur athei practice, qui, quamvis mente Deum agnoscant, vivunt tamen quasi non esset Deus, quem vellet non esse suorum criminum vindicem, de quibus dicit Apostolus ad Tit. 1. *Constituerunt se nosse Deum, factis autem negant.* Item dicuntur athei indirecte, qui nempe tribuant creaturis & idolis, quod soli Deo proprium est; seu qui ipsi Deo denegant, quod ipsi convenit, puta, providentiam; aut tribuant quod non convenit, puta, corpus humanum. Hi enim quamvis Deum non omnino negent, tamen verum non agnoscunt. Tandem dicitur sunt athei, qui vulgares deos suae patrie, eorumque simulachra non venerantur. Sic Socrates ea de causa tanquam atheus a suis civibus morti est addictus. Sic Judaei à Græcis, & Romani, imò ipsimet Christiani passim à Gentilibus vocabantur athei. Esse etiam atheos practice & indirecte, plus quam notum est in tot sceleratis hominibus, qui vivunt, ac si non esset Deus, & innumeris idololatriis, qui falsos deos colunt. At, dari veri nominis atheos, speculative scilicet & proprie, non unus est Theologorum sensus. Quidam negant, & probationes in contrarium intel-

ligunt de atheis indirecte, vel practice. Alii affirmant: idque nobis non videtur improbabile, cum tales fuisse Protagoram, Diagoram, Theodorum Cyrenæum, Evemerum, Hyponnem Melicum, & alios, testentur plures antiqui Auctores, quos longa serie citat Vitasse hic q. 2. art. 1. Eiusdem futuris fuisse videtur Vannius, Tholosaë vivus ob hanc impietatem combustus ann. 1619. qui cum supplicio proximus adigeretur ad petendam veniam à Deo, à Rege, à Justitia, fertur respondisse: *Non agnosco Deum, Regem nunquam offendi, Justitiam deo deo diabolo.* Quantum verò ad integras nationes, non arbitramur eas omnino ignorasse Deum, sed tantum non novisse distincte, sicut nos; cognovisse tamen sub aliqua ratione communi alicujus Regentis supremi; nam & ipse Barbarae nationes Insularum Americanarum diabolum sub nomine *Mahoya* venerantur ut omnium malorum auctorem; & supremum nomen invocant, ut diaboli malitiam coerceat, prout referunt Historici.

Supponendo itaque, fuisse aut esse veri nominis Atheos R. ad argumentum distinguendo illatum: ergo nullus poterit etiam vincibiliter ignorare Deum, si prudenter, ac sapienter procedat, primisque illustrationibus, sive acquisitis, sive immissis assentiat, & obsecundet, C. Illationem. Si imprudenter, & insipienter procedat, primisque illustrationibus reluctetur, atque lumen rationis extinguat, aut obnubilet, N. Illationem. Tunc enim poterit vincibiliter ignorare Deum, imò & ipsum negare: sicut *dixit insipiens in corde suo: non est Deus.* Psalm. 52.

Petes, utrum ii omnes, qui admittunt posse dari ignorantiam invincibilem Dei existentia ad breve tempus, necessario impingant in superiorem propositionem damnatam de peccato philosophico?

R. negativè: Sunt enim inter illos, qui, licet admittant ignorantiam invincibilem Dei in speculatione, negant tamen in praxi, instante peccato; quia, inquirunt; si speculative ignorans Deum in primo instanti faceret totum quod in se est, Deus vel ipsum illuminaret, vel occasionem peccandi removeret: undè ignorantia illius, quae esset invincibilis speculative, foret vincibilis practice, neque peccaret peccato merè philosophico. Eos vero, qui admittunt etiam ignorantiam invincibilem practice pro illo primo instanti, & consequenter peccatum philosophicum, quidam etiam à damnatione excusant, quia propositio videtur damnata ob suam generalitatem, nimirum quod admittat peccatum philosophicum non pro aliquo brevi instanti, sed indistincte pro toto vite decursu. Item quod admittat in quocumque ignorante, etiam vincibiliter; non enim distinguit. Item, quod admittat in eo, qui, licet sciat dari Deum, de eo, dum peccat, actu non cogitat: undè sequeretur, omnia ferè crimina esse peccata merè philosophica, & eis Deum non offendi. Hæc autem non dicunt, qui admittunt ignorantiam Dei invincibilem, & peccatum philosophicum in diluculo rationis, aut ad breve tempus. Cæterum dato, hos posse declinare invitum damnationis, non declinant saltem hoc absurdum, quod quis possit plenè, voluntarie, & liberè committere inmane flagitium, & Deum non offendere.

DISSERTATIO II.

DE NATURA, SEU QUIDDITATE DEI, ET EJUS ATTRIBUTIS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

Quodnam sit constitutum divinæ Naturæ?

§. I. Exponitur status questionis, cum variis Theologorum sententiis.

Cognito de Deo, quod sit, inquirendum restat, quid sit. (Hic q. 3. in præm.) At de Deo perfecte scire non possumus, quid sit, quia est ens infinitum. Undè erroris, & demeritæ SS. Patres arguerunt Aëtium, & ejus discipulum Eunomium, qui jactabant se æquè perfecte cognoscere Deum, ac Deus ipse se cognoscit. Triplici tamen via, ut antea notavimus, vel brevius, & clarius duplici via aliqualem ejus cognitionem acquirere possumus. 1. Per viam negationis, removendo ab eo imperfectiones: & hoc est potius scire, quid non sit, quam quid sit. *Deus ineffabilis est,* inquit Aug. in Ps. 85. *Facilis dicitur, quid non sit, quam quid sit. Terram cogitas? Non est hoc*

Deus Mare cogitas? Non est hoc Deus. 2. Per viam affirmationis, tribuendo ei perfectiones creaturam semotis imperfectionibus, & longè excellentiori modo. Sic cum eodem August. l. 5. de Trin. c. 1. *Intelligimus Deum sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ presentem... sine ulla summatone mutabilia facientem, & nihil patientem.* Et serm. 1. de verbis Apost. *omnem creaturam suam excedit... Si enim quæras magnitudinem, major est; si pulchritudinem, pulchrior, &c.* Sed antequam de his omnibus perfectionibus singillatim cum S. Doctore agamus, instituis hic pro more scholæ Questionem: Quid in hoc immenso perfectionum Pelago verisimilius, & cum fundamento in re concipi possit quod sit constitutum naturæ divinæ, seu differentia ejus essentialis, undè alie perfectiones profluant.

Non est ergo questio de constitutione physica divinæ naturæ, secundum quod est realiter in se: sic enim certum est, quod omnes perfectiones sive absolute, sive relative Deum realiter constituent, cum omnes identificentur in ipsa Dei natura, quæ in se est simplicissima.

Ne-

ET DIVINIS ATTRIBUTIS.

Neque etiam questio est de natura divina, largè, & in ampla quadam significatione sumpta pro ente increato, quo distinguitur à creaturis, & quod se habet per modum transcendentis, reperiturque in omnibus attributis, eo proportionali modo, quo ratio entis creati imbibitur in omnibus differentis & modis creaturarum.

Sed questio est de natura seu essentia, strictè sumpta pro eo quod primum in Deo concipitur, tanquam fons, & origo cæterarum proprietatum, à quibus proinde virtualiter distinguitur, & in quibus sub hac ratione non concipitur transcendentia inclusum: hoc est, de constitutivo metaphysico, seu essentiali differentia naturæ divinæ, prout à nobis victoribus imperfectè in hoc statu concipitur ad modum naturæ creatæ, in qua semper reperitur aliqua perfectio, quæ primo in illo concipitur tanquam differentia ejus essentialis, & origo cæterarum perfectionum, ut in homine rationalis.

In hujus Questionis, non minus difficilis quam celebris, resolutione, in varias scinduntur sententias Theologi. Magis vulgaræ ad capita sequentia reducimus.

Prima. Quidam distinguunt inter essentiam & naturam, in eo quod essentia sit principium essendi, & natura principium operandi; voluntque, essentiam constitui per seipsum, & naturam per intellectionem. Negant alii, essentiam, & naturam in Deo distingui virtualiter: seu ratione ratiocinata: quia ille sole perfectiones in Deo virtualiter, & cum fundamento in re distinguntur, quæ in creaturis distinguntur formaliter, vel virtualiter, non ex mera potentialitate, ut intellectus & intellectio, sed ex objecto suo formali, & ideò ad diversas lineas pertinent, ut intellectus, & voluntas. Quia ad distinctionem virtuales in Deo requirunt æquivalentia plurium ut plurium, quæ non habetur nisi dum habetur æquivalentia plurium ex ratione sua formalis distinctorum, & ad diversas lineas pertinentium; nam æquivalentia plurium ex sola potentialitate distinctorum, & eandem rationem formalem habentium, non est æquivalentia plurium ut plurium, sed plurium per modum unius, ut patet in æquivalentia, quæ intellectus divinus æquivaleret intellectui humano, & intellectio, quæ non sufficit ad constituendum distinctionem virtuales & fundatam inter intellectum divinum, & ejus intellectionem. Jam autem essentia, & natura in creatis non distinguntur ex objecto formali: sed ex potentialitate essentia creatæ, quæ non est actus purus & sua operatio, undè, licet sit actua per esse, est tamen adhuc in potentia ad operari: si igitur essentia creatæ esset tantæ actualitatis, ut esset semper operans, & non posset; dum existit, esse aut concipi in potentia ad operandum, essentia in illa non distingueretur à natura. Neque dicas, lineam essendi, & lineam operandi esse diversas lineas: sunt enim diverse, non ex sua ratione seu objecto formali, ut sunt v. gr. intellectus, & voluntas, sed ex sola potentialitate & imperfectione nature seu essentia, quæ non est in summo actualitatis, & consequenter non identificat suum ultimum actum, qui est operatio; esse enim est propter operari. Cum igitur Deus sit in summo actualitatis in omni ordine, non potest concipi cum fundamento in re in potentia sive ad esse, sive ad operari, sed utrumque sibi identificat; consequenter essentia in eo non distinguitur virtualiter, neque à natura, neque à potentia operandi, neque ab actuali operatione, ea scilicet quæ prima in eo concipitur, & est nobilissima, nimirum intelligere, ut dicemus modo.

Verum, quidquid sit de hac difficultate, ea omnia, nos hic summus pro eodem essentiam, & naturam; tum quia essentia, ut modo dictum est, non solum est principium essendi, sed, & operandi, cum ex ea profluant proprietates operative: sic rationalitas in homine non solum dat esse specificum, sed, & insuper est radix potentiarum operarivarum, ideòque principium radicale operandi. Tum quia inusitatum est tam in Theologia, quam in Philosophia, assignare duas differentias, rerum substantiales, alteram pro essentia, alteram pro natura. Undè Concilia, Patres, Theologi, & Philosophi passim usurpant essentiam, & naturam pro eodem. Sic in 6. Synodo act. 3. Personæ divinæ dicuntur *unius nature, vel essentia.* In Concilio Lateran. sub Innoc. III. paulò post cap. *Damnatus*, dicitur *essentia, essentia sive natura:* quibus in locis confunditur essentia cum natura.

Secunda Sententia constituit naturam divinam in collectione omnium perfectionum: undè juxta illam poterit definiti Deus: *Ens summè perfectum.* Verum non attingit punctum difficultatis. Verè quidem est de constitutione physica divinæ naturæ, at de ea non agitur, ut prænotatur est: agitur de constitutione metaphysica, in qua non attenditur id omne quod res à parte rei continet, sed aliquid primum quod sit fons & origo cæterorum. Hoc autem primum non est collectio omnium.

Tertia Sententia reponit naturam divinam in infinitate, & juxta illam Deus definitur: *Ens omnimodè infinitum.* Ità Scotus cum suis. Hæc Sententia affinis est præcedenti, etiam ens omn-

Theol. Billuart. Pars Prima.

nimodè infinitum perinde est ac ens summè perfectum; undè eadem ratione impugnatur. Insuper infinitas non est nisi modus naturæ, nempe modus habendi perfectiones sine fine, si cetera finitas in creaturis est modus nature: atqui modus nature non est natura, nec eam constituit, sed constitutam supponit. Addè, quod infinitas sit prædicatum transcendens omnia attributa, nec ab eis virtualiter distinctum, ut dicam modo de ascitate.

His igitur sententiis omissis, virtutum difficultas circa duas celebriores Sententias: quarum prima reponit essentiam divinam in ascitate, seu in existentia à se, & per se: & hæc sententia ardet multis, præsertim extra Scholam D. Thomæ, ex Thomistis autem pro ea citantur Capreolus, Bæñez, Ledesma, quibus novissimè subscribit Contensonus. Altera, quæ est communior inter Thomistas, censet, essentiam divinam constitui per gradum intellectivum: cujus Patroni iterum inter se dividuntur, alii opinantibus pro intelligere radicali, quibusdam pro remoto, quibusdam pro proximo, nimirum pro ipsa potentia intellectiva: alii opinantibus pro intelligere actuali, non sub ratione operationis, sed sub ratione ultimæ actualitatis per se subsistentis. Potest enim actuale intelligere dupliciter accipi: 1. prout est formaliter egrediens à principio, & sub conceptu ab: 2. prout est ultima hujus principii actualitas. Hæc distinctio, quamvis eam obscuram, & implicatam dicat D. Tournely, nobis tamen videtur perspicua & evidens. Quis enim neget, operationem esse ultimum actum potentia operative? hebetque fundamentum in D. Th. infra q. 18. art. 1. ad 1. ubi dicit: *scire, & intelligere, & hujusmodi quandoque accipiuntur pro quibusdam operationibus, quandoque pro ipso esse sic operantibus.* His notatis, & præsuppositis.

§. II. Difficultas resolvitur.

Deo. 1. Natura, seu essentia Dei non constituitur metaphysicè per ascitatem.

Prob. 1. ex D. Th. qui infra q. 13. art. 11. o. dicit, quod hoc nomen, *Qui est, nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes; & idè nominat pelagus substantia infinitum.* Ergo juxta D. Th. conceptus ipsius esse à se non importat determinatè naturam divinam, sed quid indeterminate, & transcendens in ordine increato. Item ibidem ad 1. dicit, quod hoc nomen *Deus*, quod dicitur ab intelligendo; sit quoad rem significatam magis proprium Deo, quam nomen *Qui est*: atqui hoc falsum foret, si existentia à se, seu ascitas, foret formale constitutum divinæ nature: ergo. Confer responsionem ad 1. objectionem infra.

Prob. 2. Ratione fundamentali: Illud est formale constitutum divinæ nature, quod distinguit illam, non à creaturis tantum, sed etiam ab attributis, personis, cæterisque formalitatibus divinis; atqui ratio entis à se id non prestat: ergo, &c. Major patet; quia hic, ut dictum est, non agitur de natura divina largè sumpta pro entitate increata, sub qua ratione distinguitur à creatis, sed de ea strictè sumpta prout est radix attributorum divinorum, adeoque virtualiter ab illis distincta. Prob. Minor: Ratio entis à se ex sua ratione formali est prædicatum transcendens omnes formalitates seu perfectiones divinas, in eisque formaliter imbibita: atqui tale prædicatum non distinguit naturam ab attributis: ergo. Patet Major: omne enim, quod est in Deo, est ens à se: patet etiam Minor, quia per illud non distinguntur natura, & proprietates per quod conveniunt; & quod in illis omnibus formaliter reperitur, Hæc ratio militat etiam contra sententiam Scoti, quia infinitas est etiam prædicatum transcendens.

Huic rationi fundamentali respondent 1. & communiter adversarii, esse à se posse tripliciter summi. 1. Pro negatione essendi ab alio tanquam à causa reali cum dependentia; & sic, inquirunt, quidquid est in Deo, est ens à se. 2. Pro negatione essendi ab alio tanquam à principio formali sine dependentia; & sic Pater æternus est ens à se, non tamen Filius, & Spiritus sanctus. 3. Pro negatione essendi ab alio tanquam à causa virtuali, seu radice; & hæc soli essentia divine competit. Fatentur itaque, ascitatem 1. modo non constituere naturam divinam, quia sic est transcendens omnia attributa: nec etiam 2. modo sumpta, quia alia Filius & Spiritus sanctus qua tales non habent naturam divinam, cum habeant esse à Patre tanquam à principio. Sola ascitas ergo, tertio modo sumpta, est constitutum nature divinæ, cum illa ut sic non sit transcendens attributa, sed radix eorum.

Sed contra: Hæc responsio manifestè petit principium, & supponit, aut non attingit quod est in questione: ergo nulla. Prob. Antecedens: Ascitas, 3. modo sumpta, hoc est, non esse ab alio tanquam à radice, sed esse potius radix aliorum, constituit naturam divinam, inquirunt; atqui non hoc est quod queritur, id enim omnes fatentur; sed queritur cui formalitati seu rationi in Deo id conveniat, quod non sit ab alio

C 2

tun-